

dem nobis fide rogantibus verè obvenire, in Symbolo Apostolico credi.

45. Sed quid multis in re manifesta opus est testimonijs & rationibus, cum vel Sole meridiano clarius sit, Petrum ex abnegatione pœnitentem : Thomam ex infidelitate resipiscentem, remissis peccatis in gratiam receptos : & incestuosum illum Corinthium, quem Satana pridem traderat D. Paulus, pœnitentiam agentem, postliminò Ecclesie gremio insertum fuisse. Luc. 22, 32. Joh. 20, 28 & 29. 1. Cor. 5, 5. 2. Cor. 2, 7. & 8.

46. Quibus ita constitutis, Affirmativam per omnia tenemus, ac Articuli nostri decisionem secuti, lapsos quotiescunque convertuntur, & agunt pœnitentiam, Remissionem peccatorum posse consequi : iisdemq; Absolutionem ab Ecclesia esse impertiendam, statuimus.

### QUÆSTIO III.

#### Quæ partes Pœnitentiæ.

47. In describendis Pœnitentiæ partibus veris & essentialibus non una omnium est sententia : nonnullis plures, pauciores alijs constituentibus.

48. Confessio nostra, naturam ac proprietatem rei considerans duas ejus sancit partes :

Nn 2      Contri.